



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio  
fidei & doctrinæ Electorum, Principvm Et Ordinvm Imperii,  
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam  
Confessionem amplectuntur**

**Lipsiæ, 1606**

De Baptismo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35443**

**H**AEC sunt capita summè necessaria, quæ cuius Christianorum primò perdiscenda sunt, atq; ad verbum recitanda. Sunt autem ad hoc quotidie assuefaciendi pueri, vt quoties manè è stratis surrexerint, & ad capiendum cibum accesserint, & sub vesperam iterum dormitum ierint, memoriter recitent, neque ad cibum aut potum admittantur, nisi his omnibus antè diligenter recitatis. Non secus boni patrisfamilias officium herile exigit cum familia, nempe cum seruis & ancillis agere, neque quenquam in famulatio suo perferre, ista nescientem aut recusantem discere. Neq; enim vilo modo ferendū est, vt hominum aliquis vsq; adeò ferus sit & barbarus, qui hæc nolit discere, cū in hisce tribus partibus summam ac ruditer, & quoad eius fieri potuit, simplicissimè comprehesa sint omnia, quicquid passim in sacris literis longè lateq; tractamus. Etenim sancti Patres aut Apostoli ( quicunq; tandem illi fuerint) huiusmodi compedio complexi sunt Christianorum doctrinam, vitam, artem, & sapientiam, qua de re loquantur & tractent, aut quid tandem id sit, quod exercent.

Perceptis itaq; diligenter hisce tribus articulis, deinceps consentaneum est etiam nosse, quid de Sacramentis nostris dicendum aut sentiendū sit, quæ Christus ipse instituit, nempe de Baptismo, & de Corpore & sanguine Iesu Christi. Cum primis verò refert scire verba Matthæi ac Marci postremis capitibus Euangeliorum relata, quemadmodum Christus ex hoc mundo discedens, vltimo munere suos affecerit discipulos, eosdemq; à se donatos dimiserit.

## DE BAPTISMO.

**I**te, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.

C c

Qui

*Exercitium  
Catechism.*

*Officium  
patrisfamilias.*

*Autores  
Catechism.*



Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Qui verò non crediderit, condemnabitur.

**T**antum ex scriptura sacra de Baptismo simplicem Christianum nosse sufficit. Similiter & de secundo Sacramento paucis & simplicibus verbis, nempe ex Pauli prima ad Corinthios Epistola capite II.

## DE COENA DOMINI.

**D**ominus noster IESVS CHRISTVS, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, deditq; discipulis suis & dixit: Accipite & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite, quotiescunque biberitis in meam commemorationem.

*Quinque  
partes  
Christiana  
doctrina.*

**I**ta passim quinque partes esse videmus totius Christianæ doctrinæ, quas subinde exerceri, atq; ad verbum à pueris exigi & audiri oportet. Neq; enim est, quod speres, iuuenturè ex solis concionibus illa comprehensuram, aut sensibus & memoriæ reposituram. His ergo probè perspectis & cognitis, non incommode atq; intempestiuè aliquot etiam Psalmi & hymni in hoc formati & expositi, pponi possunt pueris, ut hęc priùs perceptis quasi roborentur & confirmentur: utq; hac ratione iuuentus scripturæ legendæ & exercendæ assuescat, ac quotidie maioribus incrementis aucta progrediatur. Sed non in hoc contenti esse debemus, ut